SAMMELHANDSCHRIFT MIT THEOLOGISCHEN TEXTEN

um 1455/1460 (Wasserzeichenbefund)

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36925
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

usque Bethleem et videamus hoc verbum quod
factum est quod dominus ostendit nobis Et venerunt festi-
nantes et invenerunt mariam et Joseph et infan-
tem positum in presepio Videntes autem cogno-
verunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc
Et omnes qui audierant mirati sunt et de hiis
que dicta erant a pastoribus ad ipsos Maria
autem conservabat omnia verba hec conferens in corde suo
Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes
deum in omnibus que audierant et viderant sicut
lucas: Secundum dictum est ad illos: In Nativitate domini ad summam missam
In principio erat verbum et verbum erat apud
deum et deus erat verbum: Hoc erat in principio apud
deum omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est
nichil Quod factum est in ipso vita erat Et vi-
ta erat lux hominum Et lux in tenebris lucet
et tenebre eam non comprehenderunt Fuit homo
missus a deo cui nomen erat Johannes Hic
venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine
ut omnes crederent per illum Non erat ille lux sed
ut testimonium perhiberet de lumine Erat lux vera
que illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum In mundo erat et mundus per ipsum factus est
et mundus eum non cognovit: In propria venit et sui
eum non receperunt Quotquot autem recepe-
runt eum dedit eis potestatem filios dei fi-
eri hiis qui credunt in nomine eius Qui non
ex sanguinibus neque ex voluntate carnis
neque ex voluntate viri sed ex deo nati sunt
Et verbum caro factum est et habitavit in nobis
Et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti
a patre plenum gratia et veritate Jo: p°
In illo tempore Dominica infra octavam Nativitatis
Erant Joseph et Maria mater Jhesu mirantes